

„S. C. rescripsit: Maneat suspensus et Episcopus melius informet de intentione. Die 31. Martii 1685.“

Episcopus Brixien., qui ab hac S. Congregatione jussus fuit sub die 31. Martii praeteriti magis praecise informare super intentione Titii in sequentem modum respondit: — „Mandatis istius S. Congregationis satisfaciendo, Titium oratorem examinari commisi super expositis in ejus supplicii libello eidem S. Congregationi porrecto. Ex juratis autem ejusdem depositionibus resultat dictum Titium stimulo reae conscientiae excitatum ob falsam attestationem a se confictam, immediate ante ipsius ordinationem elicuisse actum positivum non recipiendi ordinem Subdiaconatus seque materialiter tantum ordinationi praesentasse hoc uno sibi proposito fine, scandali scilicet forsitan oritur avertendi; numquam tamen revocata contraria intentione per ipsum, ut supra elicita.“

„Reassumpto igitur veteri folio EE. PP. decernere dignabuntur:“

„An Titius sit in Subdiaconum iterum ordinandus, saltem sub conditione?“

„S. Congr. respondit: Iterum ordinandum sub conditione privatim et dummodo aliud non obstat canonicum impedimentum. Die 28. Augusti 1685.“

(Anal. J. P. 1864 p. 757.)

6) Uni. confer. in Sabb. s.

Vd.: *Ordinatio priv. in Sabb. s.* (decr. n. 4583). *Ordinatio Unius.*

7) Una die cum Ord. Minorib. eisdem Personis conferendusne est?

Vd.: *Ordines Minores* (una die cum Subd. etc. decr. Calaritana.)

SUBDIACONI ET DIACONI.

Quod Officium post Ordinationem recit. debeant?

Granaten.

Pontificale romanum in titulo de ordinatione presbyteri prope finem preces designat ab Episcopo ordinante singulis ordinandis injungendas deque Subdiaconis et Diaconis loquens sic ait: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) nocturnum talis diei“ super hujus clausulae genuino sensu theologi non consentiunt, quin potius in diversas abeunt sententias. Ut ergo quid certi tenendum sit pateat, orator ab hac S. Congregatione petit:

1. *Utrum per nocturnum talis diei necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore sive matutinum et laudes ejus diei in qua Ordines conferuntur sive unum nocturnum habeat, ut in sabbatis quatuor temporum et in sabbato passionis sive tres, ut in Sabbato Sancto et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat?*

2. *Utrum in potestate Ordinantis sit injungere unum tantum nocturnum, quem maluerit sive officii de tempore, sive de Sanctis, quod ipsa die concurrat?*

3. *Utrum injungere possit unum nocturnum de officio defunctorum vel parvo B. M. V., vel de alio Sancto?*

4. *Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba pontificalis sonant, utrum in potestate Ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei, in qua ordines receperunt vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore sive de Sanctis il-*

lius diei, in qua preces injunctas adimplere voluerint.

§. 1. *Resp.* Non est profecto nobis animus diversas hic enumerare et expendere sententias, in quas abeunt theologi super genuino sensu illius clausulae quam adhibet pontificale romanum: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) dicite nocturnum talis diei. Quid enim proderit, studiosius inquirere et laboriosius expendere argumenta singulorum scriptorum etiam gravissimorum, super re in qua ex hoc ipso, quod dubia videantur verba, quibus enunciatur et quod super ea nihil, quod pateat, ab ecclesiastica lege aut S. Congregationis oraculo definitum sit, impune quilibet in suo sensu abundare?

§. 2. Res est de facto: seu reducitur ad meram interpretationem eorum verborum. Sat igitur erit ex sanioris criticae regulis certiorum, quantum liceat, interpretationem inquirere et pontificalis proposita verba juxta liturgicas formulas et usitatiorem ipsius pontificalis praxim seu loquendi usum paulisper perpendere, relictis subtilioribus tantorum auctorum disquisitionibus, quorum tamen auctoritate quandoque utemur, ubi res postulaverit. Summa hujus interpretationis ad duas tantum voces reducitur, nempe quid per vocem talis intelligendum sit. Haec ubi assecuti fuimus, confidimus certe ad quatuor propositas quaestiones responsum facile patere.

§. 3. Ad primum itaque quod attinet sive ut assequamur quid veniat nomine nocturni; recolenda est prisca Ecclesiae disciplina, quae in horarum canonicarum recitatione servabatur seu quomodo dispertirentur, quo tempore recitarentur, quo appellarentur nomine et quid progressu temporis variatum vel inductum fuerit. Et quoniam haec praeter caeteros dilucide simul atque

erudite tractantur, quantum ad nos spectat, a Merato in suis observationibus et addit. ad Gavantum sect. IV., cap. 1., placet ipsius Merati verbis rem totam exponere relate ad eos articulos, qui quaestioni nostrae lucem infundent. Ait itaque praeclarissimus auctor loco citato de matut. cap. 1., n. 1.: Horae canonicae nocturnae seu officium nocturnum ita appellatum est, quia noctu recitabatur: „In noctis officio, sic prosequitur ib. n. III., unicus erat priscis temporibus nocturnus, qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali officio et in primo dominicae nocturno fieri solet, sed quia dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debet, coeperunt monachi noctem, quae dominicam praecedat, orando transigere. Tradit etiam Cassianus lib. 3., cap. 3.: Monachos Aegyptios tribus diversis noctis temporibus diebus dominicis orasse, quibus opus facere non licebat; contra vero diebus reliquis quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orasse. Eas noctes in partitis distinguunt officiis, post aliquot psalmos decantatos, tres lectiones perlegebant idque tribus diversis temporibus per noctem repetebant, quae res tres nostros dominicae nocturnos profecto demonstrat; non solum dominicis diebus, sed etiam praecipuis anni festis noctis officium in tres nocturnos dividebatur, sed haec festa olim exiguo erant numero et idcirco trium nocturnorum officia minus frequentia erant et nullo negotio tres nocturni plerisque festis tributi fuere etc.“

§. 4. Maxime autem attendendum est, quod mox subjungit: „Tres nocturni isti qui tria diversa noctis officia constituebant, non solum apud monachos majori pietatis ardore frequentes, sed etiam apud clericos in Ecclesiis cathedralibus, diversis horis,

diversis noctis vigiliis correspondentibus recitabantur; sed tepescente et clericorum et monachorum fervore factum fuit, ut nocturni non separatim ut ante, sed continenter una cum laudibus decantarentur et ex tribus vigiliis una solum texeretur etc.

§. 5. Neque id satis, sed progressu temporis id quoque factum est, ut tres illos nocturnos, quos simul cum laudibus, in una tantum vigilia, id est, media nocte recitabant, ad ultimam vigiliam seu prope lucem translulerint, ne noctu consurgerent: „Initio decretum erat, subjungit laudatus auctor (ibid.) ut media nocte surgentes (clerici et monachi) officium nocturnum recitarent sicut nunc apud quosdam regulares perseverat; sed cum nec onus illud surgendi media nocte clerus toleraret . . . hoc saltem obtinuerunt ecclesiarum praesides ut ultima noctis vigilia clerici ad matutinum recitandum surgerent, ut jam fieri solet in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis.“ Ex qua trium nocturnorum et laudum conjunctione matutinum prodiit, cujus denominationis hanc affert rationem eruditus Meratus: „Hoc idem officium (nocturnum seu tres nocturni) plerumque matutini nomen usurpavit quia laudibus conjunctum est, quae summo mane recitari solebant.“

§. 6. Ex his quae ex Merato adduximus pronum est colligere: 1. Eam officii partem, quae noctu recitabatur, appellatum fuisse nocturnum et hunc praeis temporibus unicum fuisse, qui duodecim psalmis constabat, prout nunc, tum in feriis, tum in dominicis quoad eam partem quae primum nocturnum ejusdem dominicae constituit. 2. Deinde in nocte, quae dominicam et praecipua anni festa praecedebat, fervescente pietate, tres distinctos nocturnos invectos fuisse, qui tribus distinctis temporibus recitabantur et ad singulos nocturnos lectiones additas.

Ex hoc autem explicatam distinctionem inter nocturnum et nocturnos luculentissime patere, quae pro re nostra sedulo advertenda est. 3. Hanc consuetudinem apud monachos invectam, clericos etiam charitatem sectantes et spiritualia exercentes laudabiliter amplexos esse et eodem pietatis fervore servasse. 4. Hoc fervore autem tepescente inceptum esse tres illos nocturnos continenter seu unum post alium pone conjunctos recitari, quin ternis distinctis vicibus ad orandum convenirent. 5. Tandem ne noctu consurgerent, recedentibus jam umbris sive unum sive ternos nocturnos recitari incepisse adjicientes continenter laudes et sic factum esse, ut nocturnus ille sive nocturni, matutini nomine appellarentur, quia simul cum laudibus summo mane recitabantur.

§. 7. Quod vero ad rem nostram ex hactenus expositis maxime notamus, illud est, quod ex primitivo ac genuino Ecclesiae loquendi more, res sunt omnino inter se distinctae, nocturnus, nocturni et matutinus, adeo ut quaelibet ex iis vocibus separatim sumpta et ex se sola propriam ac veram habeat significationem. Quis vero non intelligit in praesenti horarum canonicarum disciplina, hodiernum feriale officium atque ipsum primum dominicae nocturnum ad amussim referre priscum illum nocturnum, qui constabat duodecim psalmis? Quis demum jure non inferet nihil ob stare quominus exposita vox pontificalis: dicite nocturnum obvia ac naturali oratione intelligenda sit de unico nocturno ferialis officii vel de primo officii dominicalis nocturno, quorum uterque constat duodecim psalmis?

§. 8. Huic nostrae sententiae non leve suffragium accedit ex praxi seu ex usitato loquendi modo breviarii romani in suis rubricis generalibus tit. XIII., de matutinis, ubi, agens de

iis quae ad matutinum per ordinem regulariter dicuntur secundum diversitatem officii, probe ac singillatim distinguit nocturnum a nocturnis, aliud significans per nocturnum in numero singulari, aliud per nocturnos in numero plurali. Inquit enim n. 2: in duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem psalmi . . . per tres nocturnos distinctos, aliud quos singillatim partitur n. 3: *In primo nocturno dicuntur tres psalmi etc.*; deinde n. 5: *In secundo nocturno dicuntur alii tres psalmi etc.*; et demum n. 6: *In tertio nocturno alii tres psalmi.* Deinceps loquens de officio trium lectionum praescribit nocturnum feriae ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis et tempore paschali cum una antiphona: *Alleluja.* Clarius etiam id constat ex eodem breviario in officio Ascensionis Domini et in officiis Paschatis et Pentecostes. Siquidem in primo, ut significet plures nocturnos, in assignandis antiphonis cujuslibet nocturni praemittit ad instar rubricae *in I. noct. antiph. etc., in II. noct. antiph. etc., in III. noct. antiph. etc.* Econtra vero in officiis Paschatis et Pentecostes, in quibus unicus est nocturnus, absolute habet: *Ad nocturnum, antiph. etc.*

§. 9. Accedit etiam, quod ipsum pontificale romanum diserte innuit distinctionem inter unicum et inter plures nocturnos. Quemadmodum enim in praesenti quaestione ait, dicite nocturnum, ita tit. de Ecclesiae dedicatione seu consecratione praescribit, ante reliquias Sanctorum in altari consecrando includendas, celebrandas esse vigiliam et canendos nocturnos et matutinas laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiae etc.: quo ad amussim servari videtur prisca illa vigiliarum recitandique officii disciplina. Sed de hoc mox sermo redibit.

§. 10. Jam vero ex his jure colligi

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

posse videtur, formulam illam: dicite nocturnum, nihil prorsus commune habere seu cum officio parvo B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum; seu cum matutino tam cum laudibus, quam sine laudibus, sed importare tantummodo onus recitandi unius nocturni alicujus feriae. Diximus cum officio vel parvo B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum; non solum quia ex usu loquendi pontificalis romani, quando aliquod peculiare officium exprimendum sit, disertis verbis hoc facit, nec locum dubitationi relinquit, ut mox vidimus in ritu consecrationis Ecclesiae; canendi nocturni in honorem Sanctorum etc.; sed etiam quia licet ex nuda nocturni significatione, juxta ea quae ex Merato deprompsimus, ab Episcopo ordinante assignari posset Subdiaconis et Diaconis partialiter alter tantum ex tribus nocturnis illorum officiorum, tamen affirmare non dubitamus menti pontificalis id respondere tantum quoad primum nocturnum dominicae vel nocturnum feriae, qui duodecim revera constant psalmis, non autem quoad nocturnos reliquorum officiorum, qui singuli tres tantummodo habent psalmos. In hoc autem stat argumenti ratio, quod si promotis ad Diaconatus vel Subdiaconatus ordinem unus ex his brevioribus nocturnis dicendus assignaretur; breviores ipsi preces (tres scilicet psalmos) recitare deberent, quam promoti ad primam tonsuram et minores ordines, quibus pontificale injungit septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis et orationibus.

§. 11. In cujus thesisi nostrae confirmationem haec quoque accedit ratio; quod scilicet, cum illae preces injungantur tamquam onus atque obligatio, de jure fluit in iis injungendis atque exigendis standum esse strictae ac praecisae significationi formulae, qua injunguntur seu literae, ut ajunt, nisi

aliter recta ratio faciendum suadeat. Atqui in casu nostro tantum abest, ut recitatio unius solum nocturni a recta ratione distet, quin immo ecclesiasticae disciplinae, ut vidimus, consona sit.

§. 12. Ad pleniorē vero hujus rei demonstrationem recolamus coronidis loco, quae obiter innumus ex pontificali romano, ubi ritus praescribitur dedicationis seu consecrationis Ecclesiae. Quando agit de sacris reliquiis parandis sero ante diem dedicationis, quae sunt in altari consecrando includendae, jubet itidem ante ipsas recitari preces easque iis verbis designat: „Celebrandaeque erunt vigiliae ante reliquias ipsas et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem sanctorum, quorum reliquiae sunt recondendae etc.“ In qua enumeratione quis non videt, quomodo liber pontificalis distinguat nocturnum a nocturnis et laudes matutinas ab ipsis nocturnis, officium Sanctorum ab officio feriali, ita ut nulli omnino dubitationi locus supersit de qualitate ac de partibus horarum canonicarum, quae in iis vigiliis recitandae sunt? Nunc vero huic textui pontificalis comparetur alter textus, de quo est quaestio vel videatur, quid proprie sibi velit idem liber pontificalis per verba: „dicite nocturnum talis diei,“ quid per illa: „canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum.“ „Quis non discernat in his diversis formulis seu locutionibus eam loquendi proprietatem, ut illico deprehendi possit, quid utrobique dicendum seu canendum praecipiat? si laudes matutinae addendae vel non; quid juxta pontificalis locutionem accipiendum sit per vocem matutini, laudes nempe quae de mane dicuntur, ut fusius supra exposuimus, qua demum ratione unum officium distinguatur ab altero? Quam verborum proprietatem etiam Dominicus Macri in suo Hierolexico Voc. Lau-

des adnotavit his verbis: „Episcopus Diaconibus et Subdiaconibus in eorum ordinatione solet imponere onus recitandi his verbis: dicetis nocturnum talis feriae (sic) et non ait: dicetis matutinum, ne comprehendat etiam laudes.“

§. 13. Ergo cum in discussa formula: „dicite nocturnum talis diei,“ nulla mentio fiat neque de nocturnis plurali numero, neque de aliquo peculiari officio sive Sanctorum sive de officio parvo B. M. V. sive de officio defunctorum sive de quocumque alio titulo, sed si quis est titulus non alius sit, quam talis diei; jure optimo concludi posse videtur non aliter verba illa accipienda esse, quam de unico nocturno feriae vel de primo nocturno dominicae, qui item unicus erat juxta veterem Ecclesiae disciplinam. In hoc autem id etiam adnotandum occurrit (ut clarius eluceat proprietates et maturatione elaborata loquendi ratio pontificalis romani); quod nempe non dicit nocturnum talis feriae, sed talis diei, ut includat etiam dominicam seu nocturnum quemcumque veteris disciplinae. Nam in voce illa *diei* non modo assignatur quilibet Hebdomadae dies, sed excluditur etiam quilibet titulus aliorum festorum et ad hoc unum reducit ut intelligamus: „Nocturnum stricte sumptum et quidem feriae vel dominicae ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis et tempore paschali cum una antiphona Alleluja.“

§. 14. Restat nunc ut videamus, an hic nocturnus, de quo loquitur pontificalis romanum, debeat esse exclusive illius diei, quo sive in temporibus a jure statutis sive extra tempora ordines conferuntur; an generice cujuslibet diei designandi arbitrio Episcopi ordinantis, quod unum deesse videtur, quemadmodum in propositione statuimus, ad solutionem totius propositae quaestionis, quam ex sola in-

terpretatione ejus voculae *talis* secundo loco proposuimus. Porro vox ista, cum sit nomen relativum, illud per se nihil indicat nisi vel tacite vel explicitè ad aliquid referatur. Ergo aut reperienda est hujus vocis tacita vel explicita relatio aut alia plane interpretatio investiganda.

§. 15. Nobis vero nullum apparet hujus relationis vestigium, in cujus sensu acquiescere possimus. Et vero si qua ejus vobis relatio fingi velit, non alia profecto se offert, nisi ut dicamus, aut referri ad illum ipsum diem, quo fit sacra ordinatio, ita ut illius diei nocturnus recitandus imponatur, quo habita est ordinatio; aut potius referri ad monitum pontificalis ad ipsum Episcopum ordinantem, quo ipsi significet, ordinatis hujusmodi injungendam esse recitationem nocturni talis diei, diei nempe quo sacra habebitur ordinatio. At neque primam neque alteram interpretationem tam facile admittet, quisquis est in hujusmodi rebus vel minime versatus et noscit exquisitam verborum et phrasium acurationem, qua utitur pontificalis romanum, quod numquam adhibuisset eam vocem talis diei, quae certe ambiguitatem parit, et obscurissima per se est, ut patet ex ipso dubio proposito. Siquidem remota omni obscuritate et inaccurata locutione, dixisset clarius et naturaliter, hujus diei in prima hypothesi, illius diei in altera.

§. 16. Exclusa igitur omni interpretatione, quae praebere possit implicite vel explicitè claram relationem illius vocis *talis* ad aliquid, cui referatur, alia nobis ineunda via est, ut probabilem aliam interpretationem investigemus.

§. 17. Ac primo praemittimus, vocem illam legi in eodem contextu et generaliter in hodiernis editionibus pontificalis romani eodem caractere et atramento totius contextus, nulla

apposita interpunctione, nullo signo diacritico. Et in hoc, ut existimamus, sita est tota ambiguitatis origo. At non ita in editionibus vetustioribus. In omnibus siquidem vox illa legitur in eodem contextu, sed in plerisque notatur rubro caractere. Ita porro testatur Georgius Gobat in sua experimentalis theologia (tract. 8, §. 772), vidisse se nempe vocem illam rubro caractere descriptam in pontificali Lutetiae Parisiorum edito anno 1637 de mandato praesulum Ecclesiae Gallicanae. Aliud exemplar nos ipsi conspeximus in pontificali secundum ritum Sanctae R. E. una cum multis additionibus opportunis ex apostolica bibliotheca sumptis, edito Lugduni 1542, quod Fol. XXIV. sic habet: *Fratres carissimi diligenter etc.* . . . Ad subdiaconatum vel diaconatum (Ord.) nocturnum talis diei. Vidimus in altero pariter Lugdun. edit. quod inscribitur: Pontificale noviter impressum MDXI die viij Maji, pag. XXVII, quod praemissa sequenti rubrica caractere rubro: „Pontifex accepta mitra et baculo etc. . . . vertit se ad ordinatos, et stans hortatur . . . quod orent pro eo et aliis quos voluerit, injungens eis missas et alia quae viderit expedire, haec habet in textu: *Fratres etc.* . . . *Ad subdiaconatum et diaconatum nocturnum talis diei.* Utrumque exemplar reperitur in bibliotheca Casanatensi, quorum postremum cura et studio Joannis Burchardi in lucem prodit. Id vidimus insuper in altera pontificalis editione Venetiis anno 1520 sub Leone X. per Lucam Antonium de Juncta (sive Giunti), quod exemplar Romae asservatur in bibliotheca CC. RR. infirmis ministrantium ad S. Mariam Magdalenam. Porro nemo ignorat quanti faciendae sint editiones typis De Juncta impressae ex philologorum testimonio. Afferemus auctoritatem Tiraboschi, qui

in sua *Istoria della letteratura italiana* tom. 7. pag. 312 haec habet: „Celebri sono le stampe di Giuseppe Giunti in Firenze, ed altri della stessa famiglia ivi ed in Venezia.“ Idem Petrus Antonius Crevenna in suo catalogo librorum, quos ipse collegerat, editiones de Juncta aemulatas fuisse scribit illas, quae ex Manutiis prodire. L'imprimerie des Giunti qui tint le second rang en Italie apres les Aldes, *semble en effet en avoir été Cémule*. Porro in his omnibus editionibus vox illa *talis* rubro caractere signatur.

§. 18. Haec quidem ideo protulimus, ut appareat, in editionibus tanti nominis varietatem illam coloris non casu aut ignorantia irrepsisse, sed accuratorem lectionem exhibere. Quae etiam laus praefatis editionibus Lutetiae Parisiorum de mandato praesulum ecclesiae Gallicanae, et Lugdunensibus detrahi nequit, cum certo constet ex iis typis optima exemplaria prodisse. Cum igitur in variis temporis et locorum, iisdemque optima notae editionibus haec coloris varietas inveniatur, constat vocem illam *talis* non esse partem allocutionis integri contextus, sed monitum ad episcopum, quasi parenthesi inclusam, ac si dicat *dicite* Nocturnum diei (N. N.) vel ut antemadverit Georgius Gobat (loc. cit.) *dicite* Nocturnum (*talis aut talis*) diei. Quod autem mirum si vox illa *talis* paulatim scribi coeperit nigro caractere, sive ex oscitantia sive ex inscitia typographorum, vel ne tempus insumerent in ea colorum varietate imprimenda, vel quia nullius momenti ducerent unum vel alterum colorum adhibere? Sed praetereundum non est, in aliqua etiam recentiori editione pontificalis romani hodieum reperiri eandem vocem *talis* caractere rubro, quemadmodum in additamento, quod aliquo abhinc tempore ponitur in fine

pontificalis — pro ordinibus uni conferendis — videre est in editione in fol. quam — excudebat Urbini anno MDCCCXIX Vicentius Guerrinus suo ac Mariani de Romanis Bibliop. Romani aere collato, facta a praesidibus facultate; — vel in altera, quam in — 8 nitidissimis typis vulgavit Mechliniae P. J. Hanciq. Summi Pontificis, SS. Congregationis de Propaganda Fide, et Archiep. Mechl. typographus anno MDCCCXLV.

§. 19. Posito itaque quod vox illa *talis* accipienda sit tamquam rubrica, quae episcopo ordinanti suggerit, ut imponat ordinatis recitationem unius nocturni *talis* vel *talis* diei; id certe non importat esse taxative diem ordinationis: dixisset enim clarius: *dicite* Nocturnum *hujus diei*: neque referri ad diem, qua habebitur ordinatio: dixisset enim: *dicite* Nocturnum *illius diei*: sed facultative remitti arbitrio episcopi ordinantis, ut imponat ordinatis recitationem nocturni ferialis vel dominicae prout ipsi libuerit. Ista haec enim loquendi formula: *dicite* Nocturnum *talis diei*, ut clarius concludam, alterutrum ex his duobus importare necesse est: aut praesentem ordinationis diem, aut diem quamcumque pro ordinantis arbitrio designandam. Non primum ut vidimus, quia incredibile est pontificalis romani redactores, qui caeteroquin accuratissimi ubique sunt vel in minimis designandis, voluisse significare per solaecismum et obscurissimam formulam id quod clarissimi et rectius significari poterat per pronomen *hujus* vel *illius*. Restat ergo secundum, quod nos eo facilius et libentius admittimus, quod, praeter adductam rationem, nobis id persuadeat praedicta circumstantia antiquiorum illarum editionum, quae vocem illam *talis*, prostantem licet in contextu allocutionis, exhibent impressam rubro caractere prout inscribuntur rubricae,

quae praescribitur norma illarum rerum quae vel dicendae vel faciendae sunt, juxta notum adagium: *lege rubrum, si vis intelligere nigrum*.

§. 20. Quae nostra opinio optime confirmatur ex ipsa veteri Ecclesiae praxi, qua videtur data fuisse episcopo ordinanti haec facultas et libertas imponendi scilicet ordinatis ea quae viderit expedire. Inspiciatur rubrica, quae legitur in Pontificali edito Lugduni anno MDXI, et de qua paulo ante mentionem fecimus, §. 17. Ibi primo generice monetur episcopus, ut ordinatis injungat missas, et alia quae viderit expedire, ac deinde deducens veluti ad praxim, libertatem ei concessam immediate subjungit: *ad diaconatum et subdiaconatum Nocturnum talis* (caractere rubro) *diei*, *talis*, nempe, vel *talis*, prout ipsi libuerit.

§. 21. Jam vero colligendo in unum quae hucusque dicta sunt, haec consequuntur:

1. Per nocturnum sic simpliciter enunciatum intelligi non posse neque plures nocturnos (§§. 6, 7), neque nocturnum Officiorum B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum (§. 10), neque integrum, seu tres nocturnos dominicae (§. 3); sed praecise vel hora nocturna feriae, vel prima vigilia nocturna seu primus nocturnus dominicae, prout extat in Psalterio, qui constat duodecim psalmis et sex antiphonis de tempore currente. Et hoc eo magis confirmatur, quia additur titulus diei (§. 13.)

2. Ex acceptione sic exposita illius vocis: *Nocturni*: patere etiam referri illum ad nocturnum quemlibet ferialis Officii ordinarie loquendo; atque ideo obiter notamus referri non posse ad aliquod particulare officium ex. gr. de sabbato sancto.

3. Cum hoc nocturno minime comprehendere debere Laudes, seu illas simul officii partes, quas hodie com-

plectimur nomine Matutini cum Laudibus; quia juxta veterem Ecclesiae disciplinam Laudes constituebant horam matutinam ab horis nocturnis omnino diversam (§. 5.)

4. Per vocem illam *talis diei* non indicari praecise diem, quo habetur vel quo habebitur ordinatio (§. 15), sed habendum esse tamquam signum rubricae, quo monetur episcopus ordinans, ut assignet nocturnum illum *ex tali* vel *tali die*, prout ipsi libuerit (§§. 18, 19, 20) qui tamen, ut vidimus, sit vel nocturnus feriae ordinariae vel primus dominicae.

§. 22. Antequam tamen ad responsa veniamus, quae singulis dubii partibus convenire putamus, ne nimium hisce rationibus per nos adductis inhaerere videamur, nonnihil adjicimus quoad praxim, quae viget. Ex aliquot, quos sciscitati sumus episcopis virtute et scientia praeclarissimis novimus, alios imponere nocturnum feriae currentis diei, quo ordines conferuntur, alios pro lubitu designare diem, cujus dicendus nocturnus sit. Hinc turbanda non erit praxis locorum, et si episcopus eam diem vel aliam non assignet, sed simpliciter enunciet nocturnum talis diei prout in contextu pontificalis, tunc, ipsa ordinationis dies intelligenda erit et numquam designatio alterius diei ordinatorum voluntati et arbitrio relinquenda. Hoc enim in casu debet vox illa *talis* ita intelligi ac si dicat *hujus diei*, quemadmodum reapse reperitur expressum in editione, quam praenobis habemus Romae edita — anno MDCCLII typis Generosi Salamoni, praesidum facultate et privilegio Sanctissimi — quae in additamento, ubi agit de confirmatione et ordinibus uni conferendis, explicite habet: *Dic nocturnum hujus diei*.

§. 23. Hinc, cum salva atque integra semper maneat dispositio Pontificalis de nocturno injungendo, quodcumque

tandem istius vel illius feriae sit officium, in ea nos sumus sententia, ut S. Congregatio nihil pro una aut altera methodo sequenda definiens respondeat, id *relinqui in facultate episcopi ordinantis, cui tamen liberum erit sequi locorum consuetudinem.*

Hinc singulis quaesitis respondendum putamus:

Ad 1. „Verba Pontificalis romani: *Nocturnum talis diei*, intelligi de unico nocturno feriali, vel de primo dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.

Ad 2. „Provisum in primo.“

Ad 3. „Provisum in primo.“

Ad 4. „In casu dicendum nocturnum feriale ut supra, qui respondeat illi diei, quo facta est sacra ordinatio.

S. C. resp.: Ut in *Voto Magistri Caeremon.* Die 11. Aug. 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 342 et 351.)

SUBDIACONUS.

1) In Absolut. cadaveris.

Vd.: *Absolut. Mort.* (crux.)

2) Canonicus collegiatae.

Ad relationem, Canonicum Subdiaconum Collegiatae Patavinae Dioec. inter missarum solemniam renuere librum sustinere ad praescriptum rubricarum, S. C. Episcopo scribi mandavit pro rubricarum observatione. n. 2195 die 20. Novembris 1662.

3) Crucifer.

Abusum deferendi crucem per Subdiaconum vel Diaconum non Canonicum ultimo loco ordinatum, in processione post benedictionem palmarum in Cathedrali Froiae contra Caerem.

introducendum tollendum et in posterum servandum esse Caeremoniale. n. 3276 die 24. Maji 1664.

In Processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Fer. V. et VI. majoris Hebdomadae, Sabbati s., in Absolutionibus Defunctorum et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Eccles. Cath. processionaliter procedit a Sacrario. . . Subdiaconus, etiam Canonicus deferre debet crucem; *in aliis autem Processionibus, a supradictis aliis*, Cruciferarius consuetus ipsam deferet Superpelliceo vel Tunicella indutus, nullo autem modo Pluviali. n. 15 ad 18. die 16. Mart. 1591.

Vd.: *Cruciferarius.*

In Processione a sacello ad altare majus praecedit Thuriferarius, deinde ceroferarii cum candelis accensis medium habentes alterum (non missae) Subdiaconum paratum tunicella crucem deferentem.

Si fuerit Archiepiscopus aut eo major aut habens privil. crucis, crux defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine Crucifixi ad ipsum versa.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 2427. l. II. c. XV. n. 8.

Si erit Archiepiscopus, praecedet capellanus (*in process. a sacello ad alt. maj. in Parasc.*) cum cruce velata et procedentibus clero ante crucem, et post eam Canonicis paratis. Si non erit Archiepiscopus, non portatur crux. *Ibid.* l. II. c. XXV. n. 8.

In Process. *Purificat B. M. V.* ante crucem praecedit thuriferarius, post eum duo Acolythy cum candelabris et cereis ardentibus medium habentes Subdiaconum paratum planeta plicata super albam sine manipulo portans crucem.

Quodsi erit Archiepiscopus, crux portabitur solummodo ante Canonicos tantum.

Ibid. l. II. c. XVI. n. 15. *Idem fit in process. Dom. Palm. Ibid.* c. XXI. n. 8. Dum Episcopus dicit. ult. Evang. (*Fer. V. in coena Dom.*) alter (non missae) Subdiaconus accipit crucem velatam velo violaceo. *Ibid.* l. II. c. XXIII. n. 10.

In Process. *Parasceve* ad accipiendum SSmum praecedet Subdiaconus paratus cum cruce denudata inter duos ceroferarios candelas accensas deferentes. *Ibid.* l. II. c. XXV. n. 30.

In Process. ad Absolutionem circa feretrum praecedunt duo Acolythy cum thuribulo et navicula et cum vase aquae bened. et aspersorio tum duo Acolythy candelas accensas deferentes medium habentes Subdiaconum, qui cantavit epistolam, paratum deferentem crucem, qui pergit ad pedes loci, nisi fiat absolutio praesente corpore, quo casu Subdiaconus collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille sit. *Ibid.* l. II. c. XI. n. 14, 15.

4) Dignit. et Canonicor.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Dignit.*

5) Episcopi in Missa.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Episcopi.*

De reverentia Subdiaconi ad impon. manipul. cf. *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3845.)

6) Non legit. Evangel. cum lectione in choro.

Vd. *Nativit. Dom.* (Off. cantor. decr. n. 4681.)

7) Genuflexio.

Ad dub.: An in missis sol., quae celebrantur in altari, quo publice venerationi SS. Sacramentum est expositum, Subdiaconus sustinens patenam debeat genuflectere, quando celebrans post offertorium genuflexus thurificat SSmum, sicut genufl. in actu consecrationis et elevationis? S. C. resp.: Ne-

gative. n. 4322 ad 1 die 11. Febr. 1764.

Vd. *Genuflexio Diaconi et Subd.; Subd.* (tenet Patenam.)

8) Incensat SSmum ad elevationem in missa de Req.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 23; *SS. Sacram.* (Thurif.)

Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure in thuribulum SSmum thurificabit genuflexus in cornu Epistolae. *Caer. Ep.* l. II. c. XI. n. 8.

9) An Minorista loco Subdiaconi fungi potest?

Debeat aliquis constitutus in ordinibus minor. extra casum necessitatis epistolam cantare? Vd.: *Epistola* (a quo etc.) *Minorista.*

Ad dub.: An Canonici insignis Collegiatae Ecclesiae S. Nazarii Mediolani in minoribus ordinibus constituti exercere valeant officium Subdiaconi, ministrando solemniter celebranti induti Dalmatica, aliisque sacris vestibus, sed absque manipulo? Et quatenus negative.

Et S. eadem R. C., partibus informantibus auditis, ad relationem Emmi, et Rmi Dom. Card. Corradini, respondendum censuit.

„Negative.“

Et ita declaravit, ac servari mandavit. N. 3860 ad 1. Die 23. Septembris 1713.

Ad dub.: An pariter permitti possit ut Clericus Regularis interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemnibus; dum alter vel Sacerdos, vel in majoribus constitutus Ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemnibus? S. eadem C. . . respondendum censuit.

„In casu necessitatis, dummodo non sit alter; sed debere esse Clericum.“